



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

III. Vtrum Deus sit vnus, & simplex?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

Ea itaque conditio processus in infinitum suffragatur potius demonstrationibus Philosophi, & D. Thomae negantium illum absolute; & inferentium tanquam absurdum: eademque aduersatur consequenter Atheistis confugientibus ad eiusmodi processum; tanquam ad asylum nequissimae pertinaciae nolentis agnoscere veritatem, ideoque conicientis se se in mediam caliginem fictionis semper ulterius propellentis, semperque torquentis intellectum, nec vllum vnquam spondentis illi portum, in quo placide quiescat, tanquam, in termino suae intentionis, ac disquisitionis. Nempè salutas, & chimatica constructio rerum sicut affirmata perturbata negata serenat intellectum. Verum, vt tales latebrae prodesse minus Atheistis possent, imò vt nocere nulli possent, consultò demonstrationes existentiae Dei absolutae sunt superius ab affirmatione, & negatione processus in infinitum; & ostentae sunt concludentes eò etiam permisso. Neque verò Philosophus, & D. Thomas ita demonstrarunt existentiam Dei, vt reprobaarent, vel etiam contenderent, seu absolute, seu comparatiue, omnem alium demonstrandi modum; quandoquidem nullus humanus intellectus complecti potest omnes argumentandi modos absolute possibiles, praesertim circa esse Dei, ad quod patent infinitae viae; nulla videlicet alia existente veritate non connexa essentialiter cum veritate existentiae Dei.

Art. 1. Ad 7. Argumenta Christianae fidei accedunt proximè ad veram demonstrationem de veritate mysteriorum eius, vt apparet ex q. illa 18. & è conuerso demonstrationes praesentes de existentia Dei quam minimum assurgunt supra claritatem, & conspicuitatem rationum quam maximè probabilium; vt notat nuper est in responsione ad 4. art. 3. Ideoque primo aspectu videntur esse aequalis, ac vniuersalis efficacitatis. Ceterum re ipsa argumenta Christianae fidei solam euidenter concludunt credibilitatem, & obligationem credendi, vt patet ex eadem illa q. 18. Argumenta verò de existentia Dei rem etiam ipsam concludunt euidenter, vt patet ex dictis in tota ista quaestione.

Art. 2. Status nihilominus elationis non est propterea deterius proportionaliter conditionis, quam foret status purae naturae: tum quia maior certitudo fidei compensat, cum absoluto excessu, maiorem claritatem rationis demonstratiue naturalis, vt innotescit ex quest. 22. de Virtut. Theol. Tum quia notitia oblecta, sed simul certa de veritatibus incomparabiliter altioribus, magisque reconditis, quales manifestat fides; plurius merito estimantur, quam quae est clarissima de veritatibus valde obuiis, nec vique adeò sublimibus, quales solas assequitur ratio naturalis; ideoque illa longè nobilior instruit, ac dirigit mores, effectuique humanos, quam illa.

Art. 3. Haudquaquam tamen negauerim rationes suadentes existentiam Dei, maximè sub conceptu supremi gubernatoris totius vniuersi ad quem spectet cura, & providentia vniuersalis de ipso, solam, apud nonnullos euidenter ostendere obligationem assentiendi, & quod praedenter assentiri possint, nec nisi imprudenter, ac stulte enormiterque peccando, dissentiri possint. Certè postremum argumentum propositum art. 2. 3. & 24. hoc vt minimum apud omnes euidentissime conuincit; & quia ab eius aliqui consideratione, vt potè semper ob oculos positi, & vbilibet occurrentis, nemo fugere omnino potest, colligitur manifestè Atheistas omnes, hac ipsa professione dogmatis patentissime stulti, insipientis, ac impij, esse scelestissimos; atque ad reliquam effrenem peccandi, & modo minimè humano viuendi licen-

tiam, cui adherent, viam sibi parare, per summum istud nefas rebellionis nolentes agnoscere supremum suum auctorem, ac indicem inevitabiliter praesentissimum sibi. Vnde eatenus atheismus rectè comparatur haeresi; atque hac procul dubio est mens Nazianzeni in illo loco; vt potè damnante Atheistas quatenus, vel negant assensum, quem euidenter cognoscunt se debere praestare, vel nolunt considerare rationes, quibus volentes nolentes, cogentur ad assentiendum.

QVÆSTIO III.

Utrum Deus sit vnus, & simplex?



Vnde dicitur non esse 1. Quia dantur plures Dij ex Pl. 81. 6. *Ego dixi, Dij ostis, & 1. ad Corint. 8. Nūc & si sunt, qui dicantur Dij sive in Caelo, sive in terra (siquidem sunt Dij multi, & domini multi) Quod autem est multiplicabile, non est simplex. Quia quodlibet multiplicabile constat indiuiduatione, quae non est communicabilis aliis; & naturā, quae est communicabilis aliis; ideoque constat duobus, vt minimum partibus realiter inter se distinctis. Quod est contra simplicitatem ex defectu unitatis. Ergo Deus nec est vnus, nec simplex.*

2. In Sacra Scriptura attribuntur Deo. Primò trina dimensio longitudinis, latitudinis, & profunditatis Iob. 11. 8. Deinde partes corporis animati, vt brachium, oculi & dextra Iob. 10. 4. Psal. 31. 18. & Psal. 76. 11. & alibi sepe. Tertiò figura, nec non situs standi, ac sedendi Genes. 1. 26. Isaia. 40. 15. & cap. 6. 2. Praeterea anima, & passiones doloris, tristitia, ira & similes ad Hebr. 10. 18. Genes. 6. 6. & Zach. 10. 18. Rom. 1. 18. & alibi: quae omnia sunt propria substantiae compositae, & constantis materia, de cuius ratione est, vt habeat partes extra partes, vtque sit multiplicatis purè indiuidualis principium.

3. Non sunt idem in Deo natura, & suppositum; essentia, & existentia. Tum quia haec distinguuntur realiter in omnibus effectibus Dei; atque de ratione effectus est, vt assimiletur suae causae; siquidem omne agens agit sibi simile vt habetur ex Philosopho. Tum quia Deitas est in Deo, sicut humanitas in homine; & nihil est in se ipso. Vnde natura tam Dei, quam hominis, est in supposito tanquam in aliquo superaddito sibi. Similiter essentia Dei aliquid superaddit peculiare ultra esse, seu existere secundum se praecise; cum esse, seu existere secundum se praecise sit commune omnibus vtrunque existentibus, deque omnibus ipsis, ac singulis praedicabile; quod tamen essentiae Dei omnino repugnat. Denique Deus innotescit naturaliter quoad an est, vt patet ex q. praecedenti; & tamen est omnino ignotus quoad quid est; vt dicitur qu. 5. Multa verò magis ignotus est naturaliter quoad personalitates, quibus subsistit: necesse autem est, notum ab ignoto esse distinctum. Ergo Deus est compositus ex natura, & supposito; essentia, & existentia, tanquam ex partibus realiter distinctis.

4. Deus conuenit cum creaturis quoad praedicata genericae substantiae, videntis, intelligentis, &c. & differt ab eisdem per plura alia praedicata. Ergo Deus componitur ex genere, & differentia. Vnde ulterius sequitur compositio eius ex materia & forma; quatenus iuxta Philosophum genus sumitur ex materia, & differt

differentia ex forma. Atque hinc demum subinfertur multiplicitas individualis Deorum, quatenus materia est principium talis multipliciter, ex eodem Philosopho.

Art. 1. Respondetur. Deum esse unum, & simplicem, id est, non dari plures Deos, nec in uno Deo plures partes realiter inter se distinctas, ex quarum mutua inter se unione Deitas, aut Deus ipse coalescat; est certum ex fide. De unitate constat clarè ex Dent. 3. 2. 3. 9. ex quæ aliis pluribus Scripturæ locis apud Valentiam disp. 1. q. 10 p. 2. Simplicitas colligitur ex his Scripturæ locis, in quibus apud eundem auctorem ibidem q. 3. p. 2. & 7. aliosque in præfenti, perfectiones Dei prædicantur de ipso etiam in abstracto, eademque licet aliàs aliquid communis creaturis, dicuntur soli ipsi convenire. Quorum neutrum verum esset, si Deus non esset indivisum per suam essentiam, quidquid in ipso est. Eadem simplicitas, simul cum unitate, definita est in Conc. Later. sub Innoc. 3. & refertur c. *Firmiter* extra, de summa Trinitate, & Fide Catholica.

Art. 2. Ratio est; quia Deus est summum bonum continens in se omnem puram perfectionem absque ulla imperfectione, ut constat ex demonstratione 2. q. præcedentis. Multiplicitas autem Deorum, & realis, ex diversis partibus, compositio ponunt imperfectionem in Deo. Multiplicitas quidem; quia Deus ex suo conceptu est ens simpliciter necessarium, & inevitabile, ut constituit ibidem in demonstratione. 1. Quare si plures essent Dij, cuilibet eorum esset impossibile existere non existente alio, vel aliis. Unde quilibet indigeret existentia aliis, vel aliorum, ad suam ipsius existentiam, ac proinde non posset non magni facere aliquod bonum extra se positum. Indigentia autem alieni boni, & insufficientia propria, atque impotentia contemnendi omnia, extra se posita, est manifestus defectus. Compositio verò dicit similiter imperfectionem. Quia utlibet parti componenti secundum se deest perfectio propria alterius partis; nec potest eam habere tam perfecte, ac habet pars altera. Cum unio Physica partis cum parte non possit æquivalere adæquate identitati, quam habet perfectio cuiusque partis secum. Totum autem constans ex partibus identificatis cum eiusmodi imperfectione, ea quæ proportionaliter magna in singulis est magnitudinem perfectionis, quæ convenit alijs, vel alijs partibus inuicem sibi necessariis, non potest careere imperfectione; quandoquidem eo ipso esset identificatum cum iis imperfectionibus, sicut quodlibet totum est identificatum cum omnibus suis partibus.

Art. 3. Deinde omnis distinctio realis fundatur in limitatione, aut in oppositione mutua distinctorum. Quæ de causâ in Conciliis indicandis infra q. 40. art. 1. statuitur in divinis omnia esse idem, ubi non obuiat relationis oppositio. Quia videlicet supponitur in divinis nullum esse locum alteri distinctionis fundamento, quod est limitatio, & contractio perfectionis. Cum igitur nulla sit in Deo, aut imperfectione, aut perfectio coniuncta cum imperfectione, sed qualibet eius perfectio sit pura perfectio, & præterea nulla pura perfectio opponatur ulli alij puræ perfectioni, nec possit eam à se excludere; quæ duo ostensa sunt quæstione præcedenti; patet nullam in Deo dari posse distinctionem realem, aut partium, ex quibus componatur, aut ab alio Deo, cum quo dignitatem Deorum constituat. Quæ ratio illustrabitur multò magis tota quæstione sequenti.

Art. 4. Nulla igitur datur in Deo compositio, aut ex partibus integranibus; aut ex materia, & forma; corpore, & anima, quæ sunt propriæ compositi habentis

causam sui extra se; aut ex natura, & supposito realiter distincto, quod est proprium naturæ multiplicabilis; aut ex essentia, & existentia, quod est proprium rei contingentis; aut ex substantia, & accidenti, quod est proprium substantiæ non includentis essentialiter in se omnem perfectionem, quæ indiget. Ergo Deus est perfectissimè simplex, & unus, tum positivè, tum negativè.

Ad 1. Viri sancti tum comprehensores in Cælo, tum viatores in terra, dicuntur Dij à Psalmista, participatiue tantum, & similitudinariè propter participationem dignæ naturæ, quæ inest gratiæ sanctificanti, ut habetur q. 2. de Iustificatione. Idem sensus subest Apostolo: nisi quod probabilius est ipsum non loqui ex propria sententia, sed iuxta sensum Idololatrarum, quos ibi impugnat. Unde immediatè subiungit *Nobis tamen unus Deus.*

Ad 2. Quia nos cognoscimus res spirituales per solas species rerum corporalium dependenter à sensu externo, & phantasia, idèque spiritualia, & simplicitate concipere non possumus, nisi adinstar rerum corporalium, & compositarum; propterea Spiritus Sanctus, dum loquitur nobiscum, ut locutio sit accommodata capacitati audientium, loquitur metaphorice, ac symbolice transferendo voces propriè significatiuas rerum compositarum ad significandum simplicia, maxime verò Deum, pro cuius cognitione pluribus egemus eiusmodi subsidiis, & nominando diversas partes corporeas pro diversa opportunitate, ad significandam diversitatem operationum diuinarum. Quæ itidem ratione, leonis etiam, aliarumque rerum animatarum, & inanimatarum, adèque incompossibile nominibus, significatur sæpè Deus. Nihil igitur quoad proprietatem sermonis, deduci potest ex talibus locutionibus aduersus veritatem testimoniis alijs claris, & literalibus, atque ratione superius stabilitam.

Ad 3. Natura, & suppositum; essentia, & existentia non distinguuntur in Deo realiter, sed solum ratione. Ad primam rationem in contrarium. Effectus creati sunt similes Deo quoad totam ipsorum perfectionem, quod solum est de intentione omnis agentis; non verò quoad ullam imperfectionem, ad quam utique spectat defectus simplicitatis. Ad secundam; Deitas dicitur esse in Deo tantum ex modo nostro concipiendi; quatenus Deus concipitur à nobis seorsim, tum adinstar naturæ creatæ, tum adinstar suppositi creati. Haud alter concipitur à nobis Deus, tum adinstar verificantis solas propositiones præscindentes ab actuali exercitio existentia, tum adinstar verificantis propositiones, quæ significant determinate actuale exercitium existentia. Atque priori modo essentia; secundò modo existentia dicitur unum, & idem esse Dei. Iam esse, cui nulla sit additio solum præcisivè; id est, non sit actu per intellectum, fieri tamen realiter potest, illud verò est commune rebus omnibus, estque de iisdem prædicabile promiscuè: at esse proprium Dei est esse, cui nulla sit additio negativè; id est, cui neque sit actu, neque fieri potest ulla additio. Quod de nulla re creata verificatur, uti declarabitur q. 5. Ad tertiam. Eatenus Deus dicitur esse notus quoad an est, quatenus deducitur ex creaturis, ut apparuit supra, quod per se ipsum verificet istam propositionem; *Deus est*: non verò quia ipsum esse Dei, seu actus existendi proprius ipsius est notus nobis, ut est in se. Quare eodem prorsus modo est notus, & ignotus quoad essentiam, & existentiam. Similiter natura, & subsistentia divina innotescunt nobis naturaliter per cognitionem uniformiter imperfectam respectu utriusque. Cognoscimus enim naturaliter Deum esse naturam quandam summam, eamque subsistentem realiter per se ipsam absque indigentia alicuius realiter sibi

sibi superadditi. Sed simul ignoramus naturaliter, qualis sit ea natura, & inter alia; an exigua multiplicitas substantiæ; eiusque; an absolutæ, an relationis; an distinctæ, an indistinctæ virtualiter ab ipsa. Sicut etiam ignoramus naturaliter, an, & qualiter hæc eadem prædicata conveniant substantiæ; seu supposito diuino. Est igitur eadem vni-formis notitia, & ignorantia circa utrumque extremum.

Art. 1. Ad 4. Conceptus genericos, & específicos substantiarum nos non distinguimus, nisi relatè ad diuersa accidentia, & operationes diuersas. Quia non cognoscimus substantias, nisi dependentè à sensatione accidentium, quæ illis insunt, & ab experientia operationum, quibus exercentur. Vnde pro formandis diuersis conceptibus, circa substantias magis, aut minus communibus, necesse est, vt conuertamur ad accidentia realiter diuersa, aut ad diuersas operationes, quæ pluribus, aut paucioribus insunt substantiis; ita vt indiuisim concipiuntur substantiæ in recto, & operationes, aut alia accidentia ipsarum in obliquo. Quia verò accidentia, quæ sunt communia pluribus substantiis, habent quodammodò rationem materiæ respectu accidentium coniungibilium secum, quæ sunt communia paucioribus substantiis; quatenus illa habent, respectu istorum, indifferantiam, & separabilitatem non tantum similem illi, quam habet materia respectu formarum; atque conceptus genericus complectitur in obliquo accidentia illa communiora; differentialia verò ista alia non vsque aded communia; propterea Philosoph. 5. Metaphysic. text. 10. & 35. rectè pronuntiat genus esse simile materiæ; & D. Thomas in hac quæst. 3. artic. 5. dicit genus esse simile potentia, & differentiam actui, seu formæ.

Art. 2. Hinc apparet Deum sub nullo genere contineri vniocè, sed tantum analogicè. Quia conceptus generici abstracti à Deo, & creaturis, partim conueniunt Deo, nempe quoad rectum; partim non conueniunt, nempe quoad obliquum, quandoquidem nulla Deo accidentia insunt. Quapropter dicendum potius est absolute cum D. Thoma ibidem, Deum sub nullo genere contineri, seu formaliter, seu reductiue. Pro qua sententia habetur magnum pondus auctoritatis ex PP. Theologis, & Philosophis apud Fasolum in dicta quæst. & artic. dubit. 2. Ea autem posita excluduntur patenter duæ illæ conclusiones illatæ contra simplicitatem, & vnitatem Dei.



QVÆSTIO IV.

Utrum perfectiones diuina distinguantur inter se virtualiter intrinsecè?

IDENTVR distingui 1. Quia illa prædicata distinguuntur virtualiter intrinsecè, quæ identificantur inter se realiter, simulque æquivalent perfecte prædicatis similibus realiter inter se distinctis. Perfectiones autem Dei, cum omnes identificentur realiter inter se, & patet ex q. præcedenti, æquivalent simul perfectissime omnibus perfectionibus creaturarum distinctis realiter inter se; Quandoquidem Deus continet in se indiuisim omnem bonitatem existentem cum diuisione in creaturis. Ergo tot, vt minimi, perfectiones virtua-

R. P. de Esparza Curs. Theolog. Tom. I.

liter intrinsecè distincte admittendæ sunt in Deo, quot reperiuntur realiter distinctæ in creatoris.

2. Distinctio realis mutua perfectionum creaturarum, per se ipsam formaliter, est vna ex iisdem perfectionibus. Quia dependentè ab ipsa, & cum eiusdem inclusionem formalem dantur in rebus modis, species, & ordo, & in quibus consistit formalis ratio bonitatis, & perfectionis secundum Augustinum c. 3. de natura boni, aliòque communiter cum D. Thoma q. 5. art. 5. Ergo sicut alie perfectiones creaturarum verè insunt virtualiter, & æquivalenter Deo, vt est à parte rei; ita etiam inest eidem virtualiter, & æquivalenter distinctio mutua earundem perfectionum, neque sine ipsa conuenire Deo posset formalis ratio bonitatis.

3. Distinctio virtualis intrinseca est perfectio sine imperfectione. Ergo est admittenda inter omnes, & singulas perfectiones diuinas formaliter, seu ratione nostra utrumque diuersas. Patet antecedens. Quia alias nec inter naturam, & personarum diuinas dari posset talis distinctio; inter quas tamen inuicè autem ea admittitur ab omnibus, nec negari potest, vt apparebit infra agendo de mysterio Trinitatis. Patet item consequentia. Quia vnaquælibet perfectio diuina continet in se formaliter omnem puram perfectionem, quasi reflexam, & vltimò completiuiam ipsius: Et quia in essentia diuina, vt præcisè à personalitatibus, inuenitur formaliter omnis perfectio sine perfectione, ne dicatur Deitatem non esse conceptum omnis puræ perfectionis formaliter.

4. Ideò Deus intelligit, & vult, quia potest intelligere, & velle; & non è conuerso: ideòque est verum à parte rei independentè à modo nostro concipiendi. Verum autem esse non potest, quin potentia, seu actus primus intelligendi, & volendi sit prior saltem virtualiter intrinsecè, quàm intellectio, & volitio actualis tam necessaria, quàm libera. Sed neque prioritas virtualis intrinseca dari potest absque distinctione virtuali intrinseca; quandoquidem nihil se ipso prius esse potest secundum idem genus ipseitatis, & prioritatis. Distinguuntur ergo virtualiter intrinsecè ea extrema. Eadem est ratio, si & vrgentior non est, de intellectione actuali, & actuali volitione. Ideò enim Deus vult, & amat, quia intelligit, & cognoscit, iuxta illud Philosophi indubitatum apud omnes; *Nihil volitum; quin præcognitum*. Ergo volitionem, & amorem Dei etiam erga se ipsum secundum se præcedit necessariò cognitio ipsius, non ex solo modo nostro concipiendi, sed verè à parte rei aliquo modo, ac proinde virtualiter saltem intrinsecè.

Simile denique argumentum fieri potest considerato Deo quatenus cognoscit se, seu est cognitio sui, & quatenus est obiectum suæ cognitionis. Necesse nimirum est, vt præcedat in ratione obiecti, & subsequatur in ratione cognoscentis, seu actualis cognitionis. Quia vt fert communis omnium consensus præeuntibus Philosopho, & Augustino: *Ex obiecto, & potentia paritur notitia*. Est igitur de conceptu cuiusvis notitiæ, siue creatæ, siue increatæ, vt præsupponat aliquo modo à parte rei potentiam, & obiectum, quæ per ipsam, redduntur cognoscens, & cognitum. Ergo datur, inter perfectiones diuinas, multiplex distinctio virtualis intrinseca, seu independentens à modo nostro concipiendi.

5. Verbum diuinum procedit, per intellectum, & non per voluntatem, Spiritus verò Sanctus per voluntatem, & non per intellectum; Adque verè à parte rei. Ergo intellectui, & voluntati diuinis conueniunt à parte rei prædicata contradictoria; ac proinde distinguuntur adinuicem virtualiter intrinsecè, id est, distinctione aliqua independenti à modo nostro concipiendi.

B

piendi